

NOS DEI GRATIA,
ERNESTUS AUGUSTUS, DUX BRUNSVICENSIIUM
ET LUNÆBURGENSIUM, &c.
RECTOR ACADEMIÆ MARPURGENSIS,

SS 1645

Omnium Facultatum Studiofis Gratiā & Clementiam.



Cogitate, o dilecti Studiofi, quando milites huc & illuc cursitantes, & equitantes, vel ordine etiam dispositos videtis, quando tubarum clangorem, tympanorum pulsum, bombardarum sonitum, tormentorum quasi tonitrua auditis, quando mille belli hodie flagrantis incommoda & mala sentitis, cogitate, inquit, quantum & quale sit Dei beneficium, nihilominus scholas quasdam & Academiās, & inter eas, hanc in primis incolumem adhuc conservari: In Scholis enim & Academiis claris scientiæ & doctrinæ omnis curstoditur: Ex his omnium dubiorum decisio & resolutio petitur: In his via salutis ostenditur: Et quales Schola exhibet, tales habitura est Ecclesia & Respublica moderatores & cives. Nec solum cogitate, sed & gratā mente hoc grande & immensum Dei beneficium agnoscite, & quā grati sitis, ipso exitu ostendite: Nempe Deum, ut hanc Academiam, & id genus alias, clementissimè tueri pergat, fideliter orate, & lectiones, exercitiāq; publica & privata, quæ per instantem astatem habenda, præsens hac tabella obtutui vestro exponit, sedulo frequentate, in iisq; strenuè laborate, in viis Domini ambulate, & sic largissimam ejus benedictionem certò expectate. P. P. Marpurgi 9. Martii, Anno M. DC. XLV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

*Iustus Fexbornius, S. S. Theol. D. & Professor, Cum hæcenus ostenderit, quā Calviniani quā plurimi in Articulis de S. Scripturā, de mundi Creatione, de ejusdem Conservatione, de imagine Dei, de libero arbitrio, de bonis & malis Angelis, de æternā hominum electione & reprobatione &c, ad nostram religionem accedant, suosq; proprios contribules refellant, in hoc suo Tractatu progredietur, idēque porro ostendet in Articulis de Christo, in suis duabus Naturis, ut & statu Exinanitionis & Exaltationis, & officio Prophetico, Sacerdotali & Regio, considerato, de fide, de Justificatione, de Ecclesiā, de Sacramentis V. & N. T. &c, & ubi *ὑπερβολὴ* adhuc foveat, de reget. Deinde, quia absolvit in Collegio suo Concionatorio & Explicatorio dispositiones & resolutiones Evangeliorum Dominicalium, aperiet aliud Collegium Concionatorium, in quo Epistolas Dominicales disponet & resolveret, & controversias Theologicas, in qualibet Epistolā occurrentes, exponet & decideret.*

Meno Hannekenius, S. S. Theol. D. ejusdemq; ac Hebr. Ling. Profess. publicè in Levitico Mosaico progredietur, eoque, absoluto, ad Numeros perget. Collegia aperturus, qualia in Theologicis, Hebraicis, Syro- Chaldaicis Studiofi expeturi sunt.

Joh. Henricus Tonsor, S. S. Theol. D. ejusdemq; Professor & Pædagogiartha, in analysi quæstionum Theologicarum Illustrum & maxime controversarum perget: addet insuper Collegia Theologica Disputatoria & Explicatoria.

IN FACULTATE JURIDICA.

Iustus Ginoß cognomento Schütz, J. U. D. Consiliarius, Academia Pro-Cancellarius, & Professor Primarius, c. s. lib. 2. feud. Qual. jur. deb. vassall. explicandum assumet, ex eoq; de Fidelitate, quā vassallus, subditus, domesticus Domini suis, aliiq; aliis, vel ipso jure, vel ex pacto debent, per quæstiones scitu dignas & utiles tractabit, Collegium quoq; de statu Rei Romanæ publicum continuabit.

Johannes Breidenbach, J. U. D. Illustr. ac Celsissimi Hassiæ Landgraviæ Georgii, &c. Consiliarius & Professor, Mandatorum Cameralium materiam aggredietur.

Johannes Gualtherius, J. U. D. Consiliarius, Professor Codicis, & p. r.

Pro-Rector, in ordinariis suis prælectionibus in Codicem, si officium Pro-Rectoratus permiserit, perget.

Johannes Kornmannus, J. U. D. Consiliarius & Pandectarum Professor, in explicandis utilioribus Digestorum legibus progredietur. Collegia quoq; disputatoria publica & privata pro studioforum desiderio & petitione aperiet.

Gregorius Tülsnerus, J. U. D. Consil. & Prof. Ord. ex Lib. II. Institutionum Imperialium, materiam successionis testamentariæ publicè continuabit: Privatim verò Collegium explicatorium absolvet, & Disputatorium, pro studioforum petitione, rursus aperiet.

IN FACULTATE MEDICA.

*Joh. Daniel Horstius, D. Publicè disputando, *Manductionem* ad Medicinam exponet. Privatim Collegium Chemicum aperiet atq; præcipuorum medicaminum particularium & universaliū præparationem, usum, virtutes, vitia monstrabit atq; fideliter communicabit.*

Joh. Tilemannus, D. & Med. Profess. pergit in Lectionibus suis Astivalibus, & privatim quoq; petentibus sua committit operam.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Theodorus Vietor, Profess. Græc. emeritus, et post multos Prof. annos, ab Illustrissimo Principe, Dn. GEORGIO PHILIPPO Landgravio, &c. rude donatus, deinceps non legat, Tamen usque assidue, suo etiam loco satisfaciens.

M. Conradus Bachmannus Milsungensis Hessus, octavum librum Augusti operis Virgilii borto cum Deo inchoabit, suoq; cum Heroe ad Evandrum regem Arcadia ibit. Ite una mecum, Auditores, ut audiamus hunc de origine rectorum Herculanorum, de furto Cani, Ejusque speluncæ expugnatione, furisque strangulatione, & porro de universariā festivitate Herculi Liberatori institutā differentem: nihil horum est, quod non aliquando usui nobis fuerit.

M. Caspar Ebel, Log. & Metaphys. Profess. Ordinarius, publicè explicationem regularum Logicarum de enunciatione continuabit, Collegium Metaphysicum publicum absolvet, & privata Philosophica theoretica, pro auditorum & studioforum desiderio, aperiet, omnia dirigente altissimo.

Joh. Balthas. Schupp, S. Th. Licent. Eloqu. & Histor. Profess. ad D. Elfab. Ecclesiastes, & p. r. Facult. Phil. Decanus, ex Argenide Batclaji monstrabit genium Eloquentiæ Romanæ, Deinde privatim petentibus, fideliter proponet Oratoriam Ecclesiasticam, sive Consilium, quomodo interdum formulæ & figuræ Rhetoricæ applicandæ, huic vel illi generi Oratorum aut Concionum sacrum.

Joh. Conradus Dieterichus, G. L. Prof. Harmonicam Collationem Literaturæ Græcæ & Latine continuabit. Collegia privata pro cuiuslibet arbitrio aperiet.

Balthasar Menzerus, S. S. Theol. D. & Philosophie Moralit Prof. Quæ perducta ad finem doctrinæ Ethicæ, secundum seriem Nicomachiorum Aristotelis, Politicam deinceps, consuetā methodo, publicis Lectionibus explicabit. Exercitia privata Ethico-Politica pro voluntate Studioforum instituet. Collegium Theologicum Becanjanum Explicatorium & Disputatorium continuabit.

Jacobus Le Bleu, J. U. L. Linguar. Exoticar. Profess. Ordinarius atq; Syndicus Academ. hac ætate instante, si Deo ter optimo Maximo placuerit, in Italicis, aggredietur explicationē discursuum politicorum Scipionis Ammirati: In Gallicis, Consiliiarii Status: In Juridicis, aperiet Collegium Institutionum, secundam methodum, in Scholis Italicis receptam, ut & Collegium Pandectarum.

*Joh. Daniel Horstius, D. Physicam Hippocrateam legendo & disputando expōitam, sequenti quoque ætate repeteret. Uti autem 7. 8. 9. 10. & 11. Dissertationem *Sectionibus* quoque *Anatomicis* exposuit, ita Cælo annuente 5. Dissertationem in campis plantarum collectione enucleabit.*

M. David Christiani Pömer, Mathem. Profess. Ord. publicè explicabit Geographiam, Privatim verò Collegia Arithmetica, Geometrica, Astronomica, Geographica, Astrologica & Optica, instituet.

M. Conradus Matthias, Philologo-Criticus Profess. publicus, per sequentem ætatem, si Deus ipsi ter optimus, ter-maximus ultra vitam largiurus est modo & corporis constitutionem validam & prosperam, perget publicè, promore suo solito, in continuando & explicando authore philologo, quem tractavit hæcenus, Alexandro Neapolitano: privatim verò, si qui desiderabunt Studiofi, ex vicinis artibus habebit Collegia, quæ vocant, Agelliana cum ipsis alia.

Marpurgi, Typis Josephi Dieterici Hampelii, Academia Typographi, M. DC. XLV.

[Handwritten signatures and notes at the bottom of the page, including names like 'Joh. Gualtherius', 'Joh. Daniel Horstius', and 'Josephus Dietericus Hampelii'.]